UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Controversiarvm Omnivm Hvivs Ævi Lvthero-Calvinisticarvm Libri Tres

Coppenstein, Johann Andreas

Mogvntiæ, 1627

Qvæstio CVI. Atqui hoc præceptum solam cædem prohibere videtur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-35233

Visual Library

QVÆSTIO CVI.

Atqui hoc præceptum ſolam cædem prohibere videtur?

RESP. At cædem prohibendo docet Deus, ſe radicem & originem cædis *a*, iram *b* ſcilicet, inuidiam *c*, odium *d*, & vindictæ cupiditatem *e* odiſſe, atque ea omnia *quaſi* pro cæde ducere *f*.

a Gen. 37.4.11.18. 2. Sam. 13.22.28.29. Gen. 34.7.25. *b c d* Gal. 5.19. *e* Ro. 12.19. *f* 1. Ioh. 3.15. Mat. 5.22.

QVÆSTIO CVII.

An vero id ſatis eſt, nos neminem eo, quo dictum eſt modo, occidere?

RESP. Non eſt ſatis. Dum enim Deus iram, inuidiam, odium damnat; poſtulat, vt proximum æque ac nos ipſos diligamus *a*, & vt humanitate, lenitate, manſuetudine, patientia, & miſericordia erga eum vtamur *b*, quodque ei damno eſſe poſſit, quantum in nobis eſt, auertamus *c*: ad ſummam, ita animo affecti ſimus, vt ne inimicis quidem benefacere dubitemus *d*.

a Leuit. 19.18. *b* Col. 3.12.13. Eph. 4.1.2.3. *c* Prou. 24.11. Eſa. 58.7. *d* Mat. 5.44. Rom. 12.20.

DOMINICA XLI.

QVÆSTIO CVIII.

Quæ eſt ſententia † ſexti præcepti?

RESP. Deum omnem turpitudinem execrari *a*: ideoque nos eam penitus odiſſe & deteſtari *ac deuitare* debere *b*; contraque temperanter, modeſtè, & caſtè *c*, ſiue in ſacro coniugio, ſiue in vita cœlibe, viuere oportere *d*.

a Deut. 27.20.22.23. Leu. 20.10.11. Leu. 19.29. *b* Eph. 5.3. *c* 1. Theſ. 4.3. *d* 1. Cor. 7.9. Hebr. 13.4.

QVÆSTIO CIX.

Nihilne amplius prohibet Deus hoc præcepto, quam adulterium, & id genus turpitudines?

RESP. Cum corpus & animus noſter templa ſint Spiritus Sancti, vult Deus, vt vtrumque purè ſanctеque poſſideamus *a*: ideoque facta *b*, geſtus *c*, ſermones *d*, cogitationes *e*, cupiditates fœdas *f*, & quicquid hominem ad iſta allicit, id vniuerſum prohibet *g*.

a 1. Cor. 6.18.19.20. *b* Eph. 4.17.19. *c* Prou. 5.20. *d* Eph. 4.29. Eph. 5.3.4. *e* Mat. 5.28. *f* 1. Theſ. 4.5. *g* Eph. 5.18. Prou. 23.31.32.33. Deu. 22.5.